

vel rationis humanae λογισμοῖς, vel propriae, prae reliquis, sanctimoniae typho, insolitisque & loquendi, & agendi rationibus delectari solent. 32) De doctrinae verae dispendio, non est, quod doleamus; Infruniti sunt, inficetique ruris plenissimi, qui ita sentiunt, aliis, licet alias in multis quoque dissentiant, multo rectius sentientibus: Ast in modo proponendi & inculcandi tamen, hic & ibi, maior poterat requiri & aptitudo, & candor, & labor, & prudentia, & assiduitas. 33) Rapuerint ὀρθοδοξίαν, eiusque Festum errantes Graeci, feminis imprimis, Irene & Theodora obstetricantibus, in subsidium, imaginum turpissimi cultus tuendi: 34) Nobis illa ulterius curae cordique erit, *primarium enim*, iudice B. QVENSTEDIO, *ac principale pastoris officium est, puram & incorruptam doctrinam populo, fidei suae commisso, proponere, eandemque adversus contradicentes intrepide tueri.* 35) Mens eadem LVTHERO, 36) eadem
piae

32) Vid. S. R. BOERNERI *Progr. Panegyri 4. S. Theol. Licentiat. honoribus scriptum, A. cl. 1733. in locum, 2. Cor. II. 17. B. 1. b.*

33) Poenitentiae simul, cum remissionis, enixam magis requisivit praedicationem Lutherus, T. VII. I. G. f. 3. 4. Substantia doctrinae existente pura, in Methodo tamen didactica reformabile quippiam agnovit Dannhauerus, *Theol. conscient. T. I. P. II. p. 491.*

34) Dicatur quibusdam huic errori favens, ὀρθόδοξον ῥίζαν κλάδος, germen ex orthodoxa radice; Rectius alii Graeci: πρώτη ἀρετή ἢ ὀρθόδοξος γνώμη ἐστίν. Prima virtus sententia orthodoxa est. Audiatur hic B. BVDDEVS, *discere hinc mortales debebant, non sine Numinis munere Veritatis sibi obtingere cognitionem, fallique maximopere, qui aut naturae viribus, aut intellectus acumini, aut industriae, & exercitationi omnia tribuunt. Orat. de Festo orthodoxiae in Eccles. Graec. p. 6. seq. 12. 22. seqq.*

35) Ethic. Pastor. p. 185. qui simul illud μὴ ἑτεροδιδασκαλεῖν, 1. Tim. I, 3. διδασκαλίαν τὴν ὑγιαίνουσαν, 2. Tim. I. 13. vocatis in subsidium Patribus, diligentissime urget. p. c. seqq.

36) Wenn die Lehre rein bleibt, so kan man allerley unvollkommenen Leben und Schwachheit tragen, so fern man an der Lehre halte,